

perfectionis rationem sibi proponere potest architectus, illuminationis scilicet & prospectus commoditatem ; atque hinc pro illa perfectione composita varias regulas esse oportet. Si plures regulæ ex diversis rationibus compositæ sibi mutuo repugnant , tunc regula generalis exceptionem patitur, quæ quidem exceptio in perfectione simplici locum habere non potest, sed tantum in perfectione composita. Ita fenestrarum perfectio composita est, cum pendeat ex illuminationis, & prospectus commoditate. Quare in arte architectonica aliæ regulæ prospectus commoditati, aliæ illuminationi debentur; fieri autem potest ut regulæ illæ sibi mutuo sint contrariae. Verum si in excitanda fenestra aliqua consideretur sola illuminationis ratio, jam regulæ omnes ad commoditatem ædificii conspirare debent. Ex his omnibus patet exceptionem haberi non posse tanquam imperfectionem nisi apparentem : etenim cum impossibilis sit regularum consensus, vitio verti non debet quod ille non servetur consensus, qui nullus esse potest. Hæc omnia maximum habent utilitatem ad rerum perfectiōnē aestimandam.

V. Si ratio perfectionis ex fine primario derivetur perfectio *primaria* dicitur, secus autem perfectio *secundaria* appellatur. Quare si in exceptione regula una alteri præferenda, ea præferri debet, quæ derivatur ex fine primario. Inde etiam intelligitur major minorve perfectio; id scilicet perfectius erit, quod paucioribus exceptionibus obnoxium est. Cum enim perfectio sit con-